1184 e 13.
2

ORATIO

g. 1078

ANNIVERSARIA

In THEATRO

COLLEGII REGALIS
MEDICORUM LONDINENSIUM

ex

HARVÆI INSTITUTO

Habita Die xviii OCTOBRIS, 1746.

ORATIO

ANNIVERSARIA

IN THEATRO

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM

EX

HARVEI INSTITUTO

Habita Die VIII Octobris, 1715

ORATIO
ANNIVERSARIA

In THEATRO

COLLEGII REGALIS
MEDICORUM LONDINENSIUM

EX

HARVÆI INSTITUTO

Habita Die xviii OCTOBRIS, 1746.

LONDINI,
Proſtant venales apud J. WHISTON in *Fleetſtreet*.
MDCCXLVI.

ORATIO

ANNIVERSARIA

In Theatro

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM

ex

HARVEI INSTITUTO

Habita Die xviii Octobris, 1742.

LONDINI,

Excudunt Fratres Rivington in Novo Templo.

BOOKS printed for JOHN WHISTON *in* Fleetſtreet.

FOLIO.

I. THE Works of *John Locke*, Eſq. 3 vol. The fourth Edition, correctly and beautifully printed on a fine Paper. Price 3 l.

N. B. Mr. *Locke*'s poſthumous Pieces, which were publiſhed by Mr. *Des Maizeaux*, in 8vo. containing his Letters to Mr. *Collins*, &c. are now printed in the ſame Size and Manner as this folio Edition. Price 5 s.

II. Original Letters and Papers of State addreſſed to *Oliver Cromwell*, concerning the Affairs of *Great Britain* and *Ireland*, from 1649 to 1658; found among the Collections of Mr. *John Milton*, conſiſting of,

1. Letters to *Oliver Cromwell* from eminent Perſons.

2. Letters of Intelligence, and divers intercepted Letters from the Royaliſts.

3. Remarkable Schemes offered to *Oliver Cromwell:* Now firſt publiſhed from the original Manuſcripts.

N. B. None of theſe *Letters or Papers* are printed in *Ruſhworth*'s or *Thurloe*'s Collections, to either of which they are a proper Supplement. Price 8 s. in Sheets, or 10 s. 6 d. bound, *In one Volume.*

III. A new and beautiful Edition of the Works of *William Chillingworth*, M. A. containing his Religion of Proteſtants, a ſafe Way to Salvation, with all his Sermons and miſcellaneous Tracts; alſo the Author's Life and Letters now firſt added. Price 16 s. bound.

IV. Antiquitates Aſiaticæ Chriſtianam Æram antecedentes, ex Monumentis Græcis deſcriptæ, Latine verſæ, Notiſque & Commentariis illuſtratæ; accedit Monumentum Ancyranum. Ab *Edmundo Chiſhull*, S. T. B. Nummis & Figuris æneis ornatæ. Price 18 s. ſewed.

QUARTO.

V. Dr. *Short*'s natural and experimental Hiſtory of the Mineral Waters and Foſſils in ſeventeen Northern Counties

Counties of *England*; their ſeveral Qualities, Uſes, and Virtues in curing Diſeaſes; wherein particularly the Scarborough, Holt, Aſtrop, Latham and Cheltenham Spaws are examined and accurately treated of. Two Volumes, Price 16 s.

VI. A compleat Syſtem of Surgery in three Parts. 1. Of Wounds, Fractures, Luxations, Tumours, and Ulcers of all kinds. 2. The ſeveral Operations for all Parts of the Body directed. 3. The Bandages ſuitable to all Operations exactly deſcribed. With an Introduction containing the Nature, Origin, Progreſs, and Improvement of Surgery. Being a Work of thirty Years Experience. By *Lawrence Heiſter*, M. D. The whole Work illuſtrated with thirty-eight Copper-Plates. In one large Volume. Price 1 l. 1 s.

OCTAVO.

VII. Hippocrates Contractus; in quo, magni Hippocratis Opera omnia, in brevem Epitomen ſumma Diligentia redacta habentur. Studio & Curâ *Thomæ Burnet*, M. D. Medici Regii, & Coll. Regii Medic. Edinburgenſis Socii. Editio altera longè emendatior & elegantior. In a neat Pocket Volume. Price bound 3 s.

VIRO DIGNISSIMO

RICHARDO TYSON M. D.

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM

PRÆSIDI

ET

SOCIIS ORNATISSIMIS

De Re Medicâ optime Merentibus

HANC ORATIUNCULAM

ILLORUM JUSSU EDITAM

D. D. D.

GULIELMUS BATTIE.

ORATIO
ANNIVERSARIA

In THEATRO

Collegii Regalis Medicorum Londinenſium, &c.

QUONAM fato noſtro, Socii dilectiſſimi, contigiſſe dicam, quod Ars Medica, humano generi certe utiliſſima, & per tot retro ſecula a viris ingenio præſtantiſſimis ſedulo exculta, adeo parum interea profecerit, & tam exigua porro acceperit ſtabilitatis ſuæ præſidia? Quod cæteræ quidem Scientiæ ad ſummum fere gloriæ

faſtigium fuerint provectæ: dum interim huic noſtræ fatalis quædam inciderit calamitas, ut ſimul cum popularium ſalute Medicorum quoque fama haud leviter laboraſſe videretur? Principia ſua Phyſici ac demonſtrationes jactitant communi ſuffragio comprobatas: At in re Medicâ facilis admodum diſſenſio; at dubitatio frequens; at ita lubrica fere omnia, ut, quamcunque medendi rationem ſectemur, utcunque perſpecta videatur Morbi indoles, in remediis tamen adhibendis, ſi id quod verum ſit fateamur, ſpe noſtrâ ſæpiſſime excidamus: Nec tam dextro pede inceptum peragamus iter, ut nunquam nos fallat error indeprênſus, &, prô dolor! irremeabilis.

Abſit vero ut id mali, quodcunque ſit, neceſſitati cuidam aut ſummo bonorum omnium Donatori tribuatur. Si forte

forte ſcientiarum flumina fuerint perturbata, impuritatem hancce non ab ipſo fonte, ſed ab importunis haurientium tumultibus derivari, cuinam Mortalium non ipſâ luce clarius innoteſcit? Hujuſce mali, perinde ac cæterorum omnium, a nobiſmet ipſis petenda eſt origo. Nos ipſi nobis deſumus: Et hoc, quicquid eſt, ſive infelicitatis ſive dedecoris, non tam Artis ipſius vitio quam Artificum pravitati unice debetur. Utque id quod res eſt eloquar, quæ duo utilitatibus publicis ſemper obfuerunt, eadem Medicinæ ſtudiis maximo fuerunt impedimento: Hinc lucri cupiditas inſatiabilis, illinc ingenii pervicax arrogantia.

Quippe neutiquam ſit diſſimulandum, quod olim inter innumeros Medicinæ Profeſſores non omnes quidem ita fuerint incorrupti, ut civium ſaluti

potius quam privato quæſtui faciundo conſuluerint. Si quos vero illius ſacris aſſiſtere ſcientiæ verus impulerit amor: iidem tamen, dum ſecretæ Deæ myſteria oculo minus verecundo rimari auderent, repentinâ obcæcatione correpti, temeritatis ſuæ pœnas luerunt: nec tam vera Naturæ oracula, quam ingenii laſcivientis figmenta reportârunt. Hinc adeo mille fraudes, & morborum mendaces hiſtoriæ; hinc Hypotheſium farrago multiplex. Dum Illi quidem, quibus fuit curarum inſtar omnium nummos undecunque corradere, id unice agerent ut populo placerent quas fecerint fabulæ: Hi vero ſibi potius quam populo placere ſtuderent, nec quidquam prius potiuſve haberent, quam ut ſectæ ſuæ famam quo jure quâve injuriâ amplificarent. Illi, inter vulgus harum rerum imperitiſſimum, inſcitiâ ſuâ prorſus contenti, nullas omnino colerent ar-

tes, niſi quæ idiotis ac mulierculis, unde fructus uberrimus, fucum facere eſſent paratiſſimæ: nihilque acrius caverent, quam ne ſcientiam indotatam amplexi & ſaperent ſimul & eſurirent: Hi, inter plaudentes ſectatores, errore ſuo felices, ultro citroque divagari contenderent potius, quam deſertâ grege in viam redire; ac nihil magis reformidarent, quam ne quâ amicorum curatione officiosâ inviti ſervarentur, & gloriolæ tam pretioſæ diſpendio tandem aliquando reſiperent.

Inde manca & imperfecta rei Medicæ diſciplina, dum ita obfuerit tum illorum improbitas tum horum dementia, quid miri ſi pennas nido majores vix extenderit, nec ulla fere poſt ipſum Hippocratem uſque ad ſeculum præteritum acceperit incrementa? Quippe, quæ homines improbiſſimos pœnarum terroribus

bus coerceret, deſiderabatur publica legum majeſtas. Quod ſi cordatiores quidam inanibus Syſtematicorum figmentis obviam irent, id ſtatim experiundo ſenſerunt, quod contra rapidum inſanientis Sapientiæ æſtum ibi omnis effuſus labor; nec huic morbo, pene dixerim, epidemico remedia afferre poſſet privati cujuſvis autoritas.

Quantæ igitur LINACRO noſtro, COLLEGII hujuſce fundatori, quantæ ſucceſſori ejus CAIO referendæ gratiæ? Qui pulchre gnari, quam inanis omnis niſi qui conjunctis viribus ſuſcipitur labor; e Medicorum grege delectos bonos quoſcunque in unam quaſi aciem cooptârunt, Regiſque ac Senatus præſidio inſtructos contra nocentium impetus turmatim oppoſuerunt. Qui Artem fœdo ſqualore obſitam, gravique Superſtitione oppreſſam, erectos in ſidera vultus tollere

lere juſſerunt. Qui Palladium cælitus demiſſum, jam diu inter literarum monumenta aut incuriâ cuſtodum aut dolo malo ſepultum, tandem e ruderibus erutum, ſuis ſocio opere perpoliendum ornandumque commendârunt.

At quam arduus hic labor! Quam iniquum certamen! Quum non modo cum apertis adverſariis res agitur: Quum unicuique, qui in hanc arenam deſcenderit, & arrogantia & nequitia omnis animo radicitus evellenda: Et de ſeipſo prius, quam de hoſtibus exteris, reportanda ſit victoria. Verum enimvero, quanta quanta anteſignanis noſtris obfuerint impedimenta, ea tamen omnia tandem aliquando ſuperata eſſe gratulamur. Et, quæ bona privato cuique optanti nemo promittere auderet, en! illa obtulit ſociorum conjurata virtus.

Quod

Quod enim Legum ferrea vis extorquere nequit, obſequium iſtud lenibus imperiis ac facili momento elicit ſodalitas. Quippe naturam temperat, libidinem peccandi adimit, voluntati ipſi imperat bonorum hominum commercium: Quos, eadem velle, eadem cupere, eadem honeſta ſtudia perſequi, fraternitatis vinculo indiſſolubili conjunxerit. Hinc ergo merito gloriamur, quod longe ab hiſce ædibus exulent vultus ſeveri ac faſtu deridendo involuti; quod procul hinc temeraria præſagia, Coacorum oraculorum fidem audacter ementita; quod nulli ad ægrotantium lecta ſuſurri, nulli geſtus ſuſpitioſi, nullæ quæſtiones ſupervacuæ, nullæ miniſtrorum corruptelæ, nullæ nutricum, nullæ anilium amicorum blanditiæ, ac ſimulatâ humanitate plena colloquia. At ſincera omnia, at vota aperta, quum nulla omnino inter ſo-

cios.

cios contentio, niſi ea quæ ſit amiciſſima, niſi ea quæ in ſalutem civium unice conſpiret. Si quis vero Hypotheſeos ſpecioſæ novitate ductus, ſi quis iniquo conſilio per Arcana quæſtum facere fuerit aggreſſus; iidem illi tamen, ubi primum intra hæcce pomœria recepti in albo Sociorum nomina conſcripſerint, neſcio quo incantamento deleniti, ſuique illico diſſimiles facti, nec caſtra audent deſerere, nec ultra præſcriptum ordinem evagari. Ergo ſorte communi jam contenti, quidlibet impotentes ſperare deſinunt, nec illibatam amplius ſanitatem, nec malorum immedicabilium ſpecioſa venditant remedia: Ergo ſe Mortales eſſe tandem aliquando moniti agnoſcunt, non vitæ neciſque arbitros, non rarâ Artis Medicæ ſcientiâ, verum ſtupore vulgi factos nobiles.

Mira res profecto, quam inſuperabilis ſit pudor ; quanto ad regendos homines ſit metu præſtantior. Miranda magis tamen, quantum ad acuenda ingenia, quantum ad vim inſitam promovendam conferat ſtudiorum libera ac fida communicatio. Dolendum ſane, quod vitæ ſumma brevis noſmet præcipue ſpem vetet inchoare longam : Quod ne uni quidem Theoremati Medico ſtabiliendo par ſit labor privati cujusvis intenſiſſimus, & inter lucubrationes ad extremam uſque ſenectutem provecta ætas. Quum tamen ita bene ordinata ſit Reipub. noſtræ politia, quum ita ſit cautum, ut nihil falſi quis ſimulet, nihil diſſimulet quod ſit compertum, ſed ſtudiorum fructus ſuorum unuſquiſque in commune palam conferat : Tandem, velut radiis ſolaribus in unum focum collectis, is accenſus

eſt

eſt ſplendor, ut, pace tuâ Coe ſenex, pace tuâ Boerhaavie, pace tuâ Germaniæ grande decus Hoffmanne, ad erroris nebulas diſcutiendas, ad Artis Medicæ dignitatem plus contulerit hæcce noſtra civitas, quam univerſi quidem, quos aut a mundi uſque incunabulis merito jactitaverit Antiquitas, aut hodierna ingeniorum feraciſſima ætas protulerit.

Teſtor ſagaciſſimum RADCLIVII noſtri ingenium, qui expertus quid proprio Marte valeret humani corporis fabrica; quam ſatis illa ad acuta morborum expedienda per ſe ſit efficax: Ipſos febriles motus, atque hæc tanta certamina oculo immoto toties ſpectavit: Nec metu ſtatim præcipiti perculſus aut animum ideo prorſus abjecit, aut damnoſa quævis temere ar-

ripuit ſubſidia. Illi ergo ſingularis ac propria laus, quod, cum Naturam operi ſuo intentam agnoverit, importunam Artis ſedulitatem noluerit interponere: Quod primus medicamentorum pompam ſpernere ſit auſus; quod denique agendo nihil ſæpe ſæpius omne tulerit punctum, & ægrorum res curatione nimiâ pene conclamatas cunctando in integrum reſtituerit.

Teſtor tuos aphoriſmos, Practicorum ductor egregie, SYDENHAME. Qui morborum hiſtorias adeo graphice propoſuiſti, ut tota malorum cohors votivâ quaſi tabulâ pateat deſcripta. Qui, cum veritati unice ſtuderes, nihil præ pudore malo reticuiſti, quin eventum curationis tuæ, qualiſcunque is fuerit, candide ſis profeſſus, nec juvantia modo, ſed etiam lædentia palam feceris. Quippe officio potius quam famæ conſuluiſti

tuæ;

tuæ; & ſaluti civium poſthabita eſt gloriolæ aucupatio.

Teſtor te, JOHANNES FREINDE, Medicinæ Græcæ inſtaurator. Teſtor te, magni nominis umbra, mente captorum certa ſalus, HALÆE. Teſtor mille illuſtres animas, quarum virtutibus recenſendis longiſſima vix ſufficeret dies. Quid enim LOWERUM, quid GLISSONIUM, quid WHARTONUM, quid TYSONI, quid amatum PELLETTI nomen, quid cætera civitatis noſtræ lumina commemorem; cum cœlo hoc affulſerit HARVÆUM Sidus, omneſque Stellas præſtinxerit, exortus uti æthereus Sol?

Qui dies nobis quidem jure ſolennis, natalique proprio ſanctior habendus. Ex hac enim auſpicatiſſimâ luce fluentes annos ordinat Medicina Rationalis. Quæ jam primum ultra Conjecturæ, ultra

Empiriæ limites vexillum victrix cœpit portare, & commentis Philoſophiæ deletis Naturæ judicia firmavit.

Tuis enim oculis, caſtiſſime Sacerdos, vera in conſpectum patuit Dea. Tibi primo conceſſum ea myſteria rimari, quæ ante te nemo Mortalium illæſo vultu inſpicere eſt aggreſſus. Optandum ſane, quod mechanica corporis humani fabrica Medentibus æque innoteſcat, ac ſunt Mathematicis perſpectæ figurarum ac numerorum proprietates. At Scientia Mathematica, ingenii ſoboles, ab hominum arbitrio omnino pendet: Ars vero Medica e rebus ipſis ab imperio noſtro longe remotis, ab experimentis, quæ ſe nec fingi nec ad lubitum flecti patiuntur, magnâ ex parte reſtat adhuc petenda. Et tamen, quod non omnia ſint incerta, quod veris quibuſdam & inconcuſſis principiis

cipiis tandem aucti ſimus, tuo unice ingenio acceptum referimus. Nec vana ſpes, quod tuis auſpiciis tam proſpere inchoatum ſit, id opus tandem aliquando ſuis numeris ita fore abſolutum, ut a priori conceſſum fuerit proſpicere, quæ ſit vera morbi indoles, & qualis potiſſimum adhiberi debeat medendi ratio. Adſit modo nobis inſignis illa animi tui moderatio. Te ducem ſequuti, nec omnia nec nihil nobis arrogemus; nec, quia pauca quædam ſint comperta, ideo univerſa captui noſtro ſubjecta eſſe temere opinemur; nec, quia omnia non ſint comperta, rejectis iis quæ ſcire datur, ad Empiricorum agmen perverſi redeamus.

Dum vero florentiſſimam hancce coronam, dum illa inſignia lætus intueor, fas omnia fauſta augurari, fas omnia

omnia bona dicere, & tuas, magne Pater, laudare fortunas, cui viventi nulla gloriæ, nulla felicitatis pars defuit; cui morienti nihil ſupererat exoptandum, quam ut tam præclaros virtutum tuarum hæredes relinqueres.

Magnæ quidem illæ, ac per totum terrarum orbem merito decantatæ. Quippe nec gloriæ tuæ nec benevolentiæ pene divinæ ullus unquam obſtiterit terminus: Tuaque innumera beneficia humano generi, ſic enim voluiſti, fuerint communia. Nos præterea tamen quam maxime allicit amor tuus privatus, erga haſce ædes pluſquam paternus. Quod noſter fueris, quod nos patrimonio vivus locupletâris tuo; quod haſce amoris menſas ipſe comeſſator inſtruxeris, quod fraternæ charitatis pocula ipſe propinaveris; quod

ſolennem

ſolennem virorum de Re Medicâ bene meritorum commemorationem inſtitueris, eo nimirum conſilio, ut egregiis hiſce ductoribus incitati ad eundem virtutis apicem anhelaremus: Quod tot tantiſque patronis tutelam noſtri exemplo commendaveris tuo; quod HAMÆUM ante omnes fulgore tam illuſtri provocaveris, ut in eodem ille gloriæ curriculo tecum amiciſſime concertaret, ac, ne quid detrimenti caperet hæcce LINACRI Reſpublica, tam re quam ſaniſſimis proſpiceret conſiliis: Hæc nobis quidem propria ſunt munera: Hæc domeſtici amoris teſtimonia: Hæc nos fecerunt tuos. Ut, quùm cæteri quidem omnes teque ac tua facta inſigni admiratione attoniti ſpectent, nos tibi cognatione quâdam & arctiſſimo pietatis inſuper vinculo in æternum aſtringamur: Ut, (*Annalium*

Romanorum Scriptoris ad exemplar) tanti parentis memoriam veneremur, ut omnia dicta factaque tua nobiſcum revolvamus; famamque ac figuram animi tui magis quam corporis complectamur: Non quia intercedendum imaginibus quæ marmore aut ære finguntur: Non quia Viri illuſtriſſimi, tuorum meritorum feliciter æmuli, pietatem non quam maxime laudandam eſſe putem, quæ Senis octogenarii effigiem convivis ſuis aſpectandam proſtare voluit: Sed, ut vultus hominum, ita ſimulachra vultûs imbecilla ac mortalia ſunt: Forma mentis æterna, quam tenere & exprimere, non per alienam materiam & artem, ſed noſtris ipſi moribus poſſimus.

Proinde, Viri ornatiſſimi, Præſidis optimi auſpiciis firmati, pergite hanc

HARVÆI

HARVÆI domum, tantique nominis famam inviolatam tueri. Exulent hiſce ædibus opinionum commenta quæcunque, & remediorum inutilium moles oneroſa. Pergite Medicinam Rationalem argumentorum præſidio inſuperabili ſtabilire, & experimentorum fidiſſimis illuſtrare teſtimoniis. Cautum ſit ne quis Syſtematicus, ne quis Empiricus, niſi poſitis in ipſo veſtibulo novus exuviis, intra hoſce parietes intromittatur. Ea vero præcipua cura ſit, ne horum hominum congreſſibus dignitas veſtra contaminetur: Nec ulla vos moveat ſolicitatio, nullum ita vos corrumpat pretium, ut cum homicidis conſilia libere communicetis.

Vos, reliqui Auditores, quos æquis hic adeſſe animis nullus dubito, cœptis hiſce noſtris in ſalutem veſtram deſtinatis

natis benigni favete. Hoc enim opus, hoc ſtudium parvi properamus & ampli, ut patriæ, ut humano generi chari vivamus: Ampliſſimam mercedem aſſecuturi, ſi civium noſtrorum ægritudinibus ſubvenerimus. Si quid labor aſſiduus evicerit, quod miſeris Mortalibus in ſolamen tranſeat, illud ſerio triumphaturi.

FINIS.